

§. VIII.

Ad accidentalia vero pertinent priuilegia, illis attributa, quorum vniuersalia et particularia sunt. Inter vniuersalia referuntur pax Burgensis, ^{a)} et immunitas ab omni censuum genere. Cetera vero supra narrata pro ratione loci augeri et diminui possunt. Quam ob rem in omnibus oppidis paria atque eadem iura curiis concessa non inueniuntur.

§. IX.

Rationem, cur impetrauerint curiae haec beneficia, iam adiecimus, scilicet quo aliquid lucri ex illis capiatur, ad utilitatem vniuersitatis promouendam, cuius maxima ratio tunc habetur, si sine incommodo singulorum aliquid ex re communi desumi potest, ad sustentanda ac subleuanda onera, ab vniuersitate praestanda, quae etiam vere, ut dictum fuit, impenduntur.

§. X.

Incidit, et ad rem facit quaestio, vtrum allegata iura curiis, realia tanquam, sint adnexa, an vero senatui competant, vt de illis ex placito disponere atque de curiis remouere possit. Ita videretur, quia, ut diximus, senatus locat atque concedit alii usum earum. Quapropter credi posset, haec iura competere senatoribus, qui eis vti quoquo modo possint; attamen administrationis officio, non dominii iure, hoc agunt, ut iam monitum fuit. Sed videamus iura separatim, an non ex eis ipsis deduci possit, per se esse realia, nullo respectu ad curias facto. **Ius hospitii** rebus adhaerere necesse est, dum ⁱ⁾ ad possit

^{a)} BEYER. *delin. iur. Germ. L. I. c. 21. §. 6.*